

QK 249.22

Zb
7583

PAULUM
IN HORNIO REDIVIVUM.

CUM

VIR

38.

MAGNIFICUS, SUMME REVERENDUS, AMPLISSIMUS,
EXCELLENTISSIMUS,

DN. IMMANUEL
HORN,

SS. Theol. Licentiatus famigeratissimus, Electoralis ac Ducalis
Consistorii, quod Lipsiæ floret, Assessor gravissimus, Collegii Min.
P. P. h. t. Præpositus Splendidissimus, & ad D. Thomæ Pastor
meritissimus,

SOCER DEVENERANDUS

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA LIPSIENSI
SUMMOS IN THEOLOGIA

RITU SOLENNISSIMO

CONSEQUERETUR HONORES

D. VIII. NOV. ANNO 1768.

Expendere, suam ex novis hisce honoribus perceptam lætitiã
testari, nec non prosperrima quæque ulterius apprecari
luit, debuit

ipsius

obsequiosissimus Gener

M. HERMANNUS JOACHIMUS HAHN,

SS. THEOL. BACC. & DIACON, S. CRUC. DRESD.

LIPSIÆ, LITERIS BRANDENBURGERIANIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



EX quo singularis hæc mihi
contigit felicitas, ut *TE, Socer Sum-*
me Deuenerande, e sacro in primis
suggestu Numinis divini volunta-
tem in sacrarum litterarum monumentis pate-
factam proponentem audire potuerim, Divi
Pauli, Apostolorum Principis, imago ante
meos semper oculos obversata est. Ab eo statim
tempore hanc animo concepi opinionem,
quod *TU, Vir Summe Reuerende*, cum nemi-
ne, quem sol adspexit unquam, melius, quam
cum laudato Apostolo comparari queas. E-
quidem, si cum miserum ac infelicem ipsius
statum, in quo ante conversionem suam ver-
satus est, tum summam & omnibus maiorem

A 2

votis

votis, quæ ipsi ad Christum converso obtigit, felicitatem paulo propius intueor, insigne admodum T E inter atque Paulum intercedere discrimen, haut difficulter deprehendo. Quæ mihi paululum perpendenti succurrit, quod multo meliori jure cum *Timotheo*, vero illo ac genuino *Pauli* filio, fidem si respiciamus, in contentionem venias. Quemadmodum enim de illo, quod inde a prima pueritia sacras cupide arripuerit litteras, constat; ita etiam TU, *Vir Summe Reverende*, verbum divinum a primis ferme incunabulis in præcipuis TUIS deliciis habuisti, aliisque rebus omnibus, quæ vulgo eximiæ ac præclaræ in mundo putantur, constanter anteposuisti. Quæ oracula divina cum diurna pariter atque nocturna versa veris manu, hoc, gratia divina adjutus, consecutus es, ut cuncta *Theologi* munia, quæ docendo, refutando, redarguendo, corrigendo & consolando denique absolvuntur, rite ac non sine laude ingenti obire valeas. Et quid? Ipsa TUA cunctis satis cognita atque perspecta modestia ac humanitas *Paulo*, *Jesu Christi* Apostolo, prærogativam illam ac
laudem

laudem, quam nulla vana gloria ductus, sed
superiori quodam Numinis divini afflatu
perculsus, sibi ad confundendos calumnia-
tores suos vindicat, plus se, quam ceteros
omnes laborasse, inquit, quam lubentis-
sime concedit. At enim vero, quicquid
hujus sit, cum TU, *Vir Summe Reverende*,
nunquam non pium divi Apostoli Zelum
pro asserenda Christi Servatoris gloria imita-
ri, omnibus sis annis viribus, cum sem-
per per omnem vitam TU AM cum Paulo,
uter Christum plus diligeret, ejusque reve-
rentius coleret nomen, quasi certaveris, ni-
hil sane obstat, quo minus TE cum hoc-
ce Apostolo Paulo optimo jure conferri pos-
se, atque quam proxime ad eum accedere,
affirmare nullus dubitem. De Paulo sele-
ctissimo Dei Optimi Maximi Organo, quod
præ cæteris Jesu Christi nomen per totum,
qua patet, terrarum orbem latissime propaga-
verit, & in ipsa quoq; morte constantissimus
ejusdem permanserit Cultor, Sacris literis &
publicis Scriptis proditum extat. Chrystos-
mus, nec non Thomas de Aquino, qui idem

ex eo mutuo sumsit, de Paulo, quod totus,
quantus quantus fuerit, præ se tulerit Jesum,
ore plenissimo prædicant. Occasione etenim
verborum, Paulum nomen Jesu Ethnicis
prælatum esse asseverantium, cum quæstio
mouetur: quo pacto hoc ab ipso factum fue-
rit? ad eam sequentem in modum respon-
dent: Porta vit Jesum in corde, sæpe de illo co-
gitando, in fronte, de eo gloriando, in ore,
de eo loquendo, in manu, omnia in ejus
nomine faciendo, in calamo, de eo scri-
bendo, in toto corpore, pro eo patiendo.
In nobilissimum atque pretiosissimum no-
strum Dresdense Dædalorum operum &
artificiorum horreum quotquot intromissi
sunt, ii non ignorant, quod tabula quædam
conspicienda præbeatur, in qua nomen Je-
su meris punctis ac lineolis hinc inde disper-
sis exaratum extat, ita ut a nemine exacte
cognosci possit; tubo autem oculis admoto
integrum atque perfectum non sine intimo
voluptatis sensu intueri atq; cognoscere cu-
pientibus sese repræsentet. Verum enim vero
quanto majori voluptate eos affici atq; pro-
pe-

pemodum delibutos reddi oportet, qui Apo-
stolum Paulum sibi ante oculos proponunt
veluti tabellam ab ipso Spiritu S. præparatam,
in qua tam affabre, ac tam artificiose omnes
litteræ, ex quibus dulcissimum Jesu nomen
conflatum est, divitæ apparent, ut totus
ejus sanguis calidissimo ardentissimoque Je-
su amore incensus se commoveat, omnia e-
jus membra illum portent, cuncta ejus scri-
pta adeo sanctissimo Jesu nomine referta
sint, ut quingentis minimum vicibus, ceu
Viri Docti observarunt, ejusdem in iis fiat
mentio; in qua vero tabula deinceps totum
illud sanctissimum Jesu nomen accuratissime
adspicientium oculis se ingerit, divino hoc
veluti tubo admoto: *Non putavit Paulus se
quicquam scire inter Auditores suos præter so-
lum Jesum Christum.* Patere quæso! *Vir
Summe Reverende.* ut, quæ hactenus ad Pau-
lum ornandum in medium allata sunt, ea ad
TE accommodare mihi liceat. Qui enim TE
paulo penitius cognoverunt, qui conciones
TUAS in primis tecum animo reputant, qui
egregia TUA scripta perlustrant, ii. tempe-
rare

rare sibi non possunt, quo minus aperte fateantur, quod presse sollicitaque Pauli Apostoli insistas vestigiis. Neutiquam ire possunt inficias, quod TU, *Vir Summe Reverende*, in scriptis TUIS præstantissimis & orationibus Doctrina Theologica plenissimis apium consuetudinem quam accuratissime exprimere soleas. Quemadmodum enim apes multis quidem ac variis insidere floribus, sed de singulis nil nisi utilissimum quodque, mel puta, carpere atque colligere contueverunt; ita etiam TU, *Vir Summe Reverende*, plurima quidem in TUIS concionibus juxta & scriptis conquirere dicta, eaque doctissime explanare, ac auditoribus TUIS proponere in more positum habes; at enim vero, apium instar, hunc unice intendis finem ac scopum, ut optimum mel animæ, quod est Christus Jesus in iis invenias, & cunctorum, qui ab ore TUO pendent, animis instilles. Omnes sacri sermones, omnia ferme scripta ingrata TIBI atque injucunda sunt, nisi Jesu & amore ejus, ita ut abundant, scateant. Quam ipsam ob causam non præter rem me
fa-

facturum arbitror, si TE, *Vir Summe Re-
verende*, cum B. Herbergero, tunc temporis ver-
bi Divini præcone tam incomparabili tam-
que eximio, ut concutere audientes omni
genere affectuum eorumque pertractare in-
timos sensus, & quocunque collibuit, flecte-
re valuerit, quique inprimis Jesum in ore
semper habuisse, & assidue Auditoribus suis
inculcasse dicitur, comparare sustineam.
Haud sane a recto veritatis tramite me ab-
erraturum spero, si TE, *Vir Summe Re-
verende*, sub persona S. Ignatii, cujus cor-
di nomen Jesu literis aureis impressum fu-
isse, historiarum monumenta testantur, ad-
umbrare audeam. Omnium optime vero
me facturum esse existimo, si in TE ani-
mum, quo S. Paulus fuit præditus, quem-
que, scribens ad Corinthios, verbis satis per-
spicuis declaravit, prædicem.

Quibus verbis etiam TU, *Socer Vene-
rande*, non immerito Lipsiam Tuam allo-
qui potes: *Ego, quando veni ad Te, Lipsia
dulcissima, veni non juxta excellentiam ser-*

monis aut sapientia, testimonium Dei Tibi
annuntians. Non enim judicavi scire quic-
quã inter Te, nisi Jesum Christum & hunc cru-
cifixum. Insuper ego in infirmitate, & in timo-
re & in tremore multo apud Te fui. Sermo
etiam meus & præconium meum non fuit in
persuasoriis humana sapientia verbis; sed in
demonstratione spiritus & veritatis: ut fides
Tua non esset fundata in sapientia hominum,
sed in virtute Dei. 1. Cor. II, v. 1. 1qq. Ad-
hæc pauci admodum effluxere dies, cum ex
TE, Vir Summe Reverende, percepi, quod
neminem, si ab intensissimo illo humani ge-
neris hoste discefferis, majori prosequaris o-
dio, quam eum, qui non summo tantum-
modo jure, verum etiam cum non minori Ec-
clesiæ Christianæ detrimento Anti-Christi-
nomine insigniatur. Ex quo pari pacto lucu-
lentissimum certissimumque cum vehemen-
tissimi TUI in Jesum amoris, tum Spiritus
Paulini in TE habitantis testimonium cape-
re licet. Hic enim omnium clarissime An-
ti-Christum monstravit, atque solidissime
eundem confutavit, & nunquam sine lacry-
mis

mis hostium crucis Christi, quorum Deus est
vener, & quorum gloria in ignominia ipso-
rum, qui terrena sapiunt, injicere mentio-
nem potuit. Philipp. III, 19. Horum TU quo-
que odio flagras, una cum Divo Apostolo
Paulo longe aliter sentiens, atque in hac cum
ipso verba erumpens: *Nostra conversatio in
caelo existit; ex quo etiam Salvatorem exspe-
ctamus Dominum Jesum Christum. Qui
transformabit corpus humilitatis nostrae ut il-
lud sit conforme corpori gloriae ipsius, juxta ef-
ficaciam, qua ille etiam sibi ipsi omnia subjec-
re potest.* Hoc ipso loco, cum Paulus τὸ σά-
ματος τῆς ταπεινώσεως mentionem facit, Tui quo-
que corporis imbecillitatem, qua, *VIR Sum-
me reverende, laboras, invitulicet, in memo-
riam non revocare non possum. Hac pro-
fecto etiam in parte ad Divum Paulum TE,
Pater cum cura De venerande, quam proxi-
me accedere, eheu! videmus. In Divo Pau-
lo hoc memoratu dignum est, quod, dum
de corporis sui imbecillitate querelas institu-
it, eam saepe numerotantopere exaggeret, ut*

hominem summ' externum tantum non *corrumpi* contendat. Neque minus annotari meretur, quod eam ipsam ob causam tritum propemodum communi hominum tunc temporis viventium sermone factum fuerit proverbium: *Pauli quidem Epistole graves & valide sunt, sed presentia corporis infirma & sermo contemius*, quemadmodum ipse in Epistola ad Corinthios testatum fecit. 2. Cor. X, 10. Equidem TU, *Vir Summe Reverende*, voce sonora, forti & aures juxta ac animos audientium penetrante, neque minori cum suavitate conjuncta es præditus, & vocem tuam, instar tubæ extollere vales; sed illud ipsum eo majori certe admiratione dignum est, & pro singulari profus Numinis supremimunere habendum venit, quia reliquum corpus Tuum æque ac Pauli permultis subjacet infirmitatibus. Id quod in præsentem in medium afferre dubitarem, quin in summæ mihi religioni ducerem, nisi haberem exploratissimum, quod, si tale quid non alio adducatur animo, quam ut Dei gloria & honor Tua mirifica conservatione magis magisque diffundatur & amplificetur, hoc nequaquam aurius Tuis molestum & ingratum accidat. Tu ipse, *Vir Summe Reverende*, nullam temere prætermittere soles occasionem, qua Dei, omnium rerum Moderatoris, singularem in conservando Tuo infirmissimo corpore adhibitam curam gratissima prædicare mente, & decentissimis efferre laudibus possis. Quod ipsum ne sub initium quidem disputationis Tuæ pro impetrandis summis in Theologia honoribus eruditissime conscriptæ facere neglexisti. Me quod attinet, nullis sane verbis, quanta persusus sim lætitia, exprimere possum, quoties Davidis, Dei sui beneficia sibi exhibita celebrantis fideique plenissimi, verba, me præsentem, Tua fecisti, quæ hunc in modum fluunt: Tu es spes mea, Adonai Jehovih, fiducia mea a pueritia mea. Sicut prodigium (quidem) factus sum multis, sed tu fiducia mea
forti-

fortitudinis, Psalm. LXXI. v. 5. 7. Summum ac præpo-
tens Numen cum Te, VIR Maxime Reverende, sicuti
Paulum, ita compellat: *Sufficiat Tibi gratia mea, nam virtus
mea in infirmitate perficitur, non minus Tu lubentissime cum
Paulo potius de infirmitatibus Tuis, ut habitet super Te virtus
Christi, gloriari non recusas.* Dicis cum eodem: *Contentus sum
in infirmitatibus meis, bonoque sum animo, cum enim infirmus sum,
tunc fortis sum:* 2. Cor. XII, 9. sqq.

Quodsi porro ab imbecillitate corporis, qua Paulus confi-
ctatus est, ad ingentes ipsius Vires, quibus ad strenue san-
dissimo suo fungendum munere instructus fuit, nec mi-
nus ad illum, a quo eas accepit, mentis meæ aciem con-
verto, magnam TE inter & Paulum etiam in hoc dari
convenientiam, haut obscure cognosco. Nam sicuti Pau-
lus, licet alioquin debili perquam & infirmo esset corpo-
re, tamen Viribus ad suo satisfaciendum officio necessariis
non destituebatur; ita etiam TU, *Vir Summe Reverende*, in
ipsa corporis Tui infirmitate tantum hæcenus habuisti vi-
rium, ut oves fidei Tuæ commissas, sicuti fidelis Pastoris
exigit officium, infertilissimo ac perpetuo virenti Verbi
Divini prato pascere, earumque promovere salutem va-
lueris. At enim vero Divus Paulus a quo vires tam ingen-
tes, tam validas nactus est? A nullo certe alio, quam a
Jesu, cujus solius velificabatur honori, quemque omni-
um Auditorum suorum animis, si fieri posset, imprimere
atque inculpere studebat. Divus Apostolus Paulus ipse
nulli alii, quam JESU, Salvatori totius humani generis da-
torique omnium bonorum, robustas illas vires, quibus in
officio suo fuit instructus, disertis verbis in acceptum refert.
Nam ita ait: 2 Corinth. XIII, 13. *Vos Corinthii documentum
queritis loquentis in me Christi, qui erga vos non infirmus est, sed po-
tens est in vobis. Etsi enim crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen
ex virtute Dei, Nam etiam, nos infirmi sumus in ipso, sed vivimus*

tamen cum ipso ex virtute Dei erga vos. Atque ab hoc Jesu etiam TU, *Vir Summe Reverende*, tam largas hactenus es consecutus vires, ut non sine felici successu Auditores Tuos docere, atque rectam ipsis viam, quæ ad vitam sempiternam ducit, monstrare potueris. Hic Jesus, in quo omnem Tuam fiduciam repositam habes, & in posterum per multos adhuc annos TIBI præsto erit, atque, ut arduis illis officiis, quæ TIBI injuncta atque concedita sunt, ex animi TUI Sententia præesse queas, clementissime efficiet. Efficiet, ut cum Paulo aliisque in vinea Domini cooperariis, quorum labores Deus fortunet! gloriari possis: 2. Cor. IV. *Habemus thesaurum hunc in fictilibus vasis. ut excellentia potentia sit Dei, & non ex nobis. Perpetuo mortificationem Domini Jesu in corpore circumferimus, ut etiam vita Jesu in corpore nostro manifestetur.* Hoc futurum esse, eo major me habet tenetque spes, quo certiora atque luculentiora Deus suæ in Te gratiæ ac benevolentia hactenus documenta dedit. Namque cum non ita pridem Numinis divini, quod cuncta providentiæ suæ moderamine complectitur, auspiciis, & consentientibus Patronorum suffragiis ad altiorem dignitatis gradum ascenderes, atque non exiguus pristinis Tuis honoribus accederet cumulus, eodem illo tempore corporis Tui vires non parum imminui frangique videbantur; Verum enim vero Deus propitius post non ita multo gratia sua indulgentissima denovo Tibi aderat, vires debilitatas instaurabat clementissime, que augebat. Qua ex re magnam ego percipiebam voluptatem. Quanta vero non minus alii, qui in suis Te, *Vir Summe Reverende*, gestant oculis, qui multi sunt, tum ex recuperata pristina Tua valetudine affecti fuerint lætitia, facili perquam conjectura locus est. Neque hoc quidem immerito. Quod si enim Deus in ministris suis virtutem suam & efficaciam exerit ac demonstrat, hoc propter alios, ut gratia multiplicata propter plurimum gratiarum actionem abundet

det in gloriam suam, Divo Paulo Iudice, fieri solet. 2. Cor.
IV. v. 15.

Idem Deus pro bonitate sua immensa ac ineffabili
ab illa quoque imbecillitate, qua in præfenti laboras, bre-
vi & omni opinione citius TE liberabit. Hæc autem, quæ
hactenus adduxi, cum Tibi cum S. Apostolo Paulo sint
communia, quis exinde non intelligat, quod inter TE atque
illum quam arctissima intercedat convenientia? Quis hæc
paululum animo secum reputans ambabus non largiatur
manibus. quod TU, *Vir Summe Reverende* cum nullo melius,
quam cum Apostolo Paulo conferri merearis? Ac tantum
abest, ut omnia, in quibus cum Apostolo Paulo compara-
ri possis, a me in medium allata sint, ut potius, longe plura
adhuc superesse, fateri cogar. Quibus vero commemo-
randis ob temporis pariter ac chartæ angustiam superse-
deo. Cæterum unicum restat, quod neutiquam tacitus
præterire possum. Nimirum in summa felicitatis meæ par-
te, quod nuper admodum per sponsalia cum Filia Tua lon-
ge dilectissima eaque natu minima, recurrente in fastis
die Titi, celebrata, in Generorum Tuorum sim cooptatus
numerus, pono. Tunc enim certissimam animo concep-
ti spem ac fiduciam, quod cum aliis in rebus paternum tuum
in me animum sis demonstraturus, cum imprimis ardentissi-
mas pro incolumitate mea & salute preces ad Deum Ter. O.
M. sis futurus, creberrimeque Divi Apostoli Pauli verbis, vo-
ta pro me nuncupans, usus: Tito germano filio, juxta
communem fidem, sit gratia, misericordia, pax a Deo Patre,
& Domino Jesu Christo Servatore nostro. Tit. I. v. 4. Quæ
spe eo minus excidam, quo magis pro comperto habeo,
quod TU ipse, *Socer omni obsequii & reverentia cultu prosequende*,
nulla re magis, quam precibus ad Deum fundendis animum
oblectes. Ego vicissim non pro Tua solum, verum etiam pro
totius Tuæ splendidissimæ familiæ salute ac incremento
sup-

7
hl 7583


OK

X 312/205

V. D. 18


supplices ad Deum tendere manus, eumque, ut omne prosperitatis genus ubertim ipsi impertiat, assiduis precibus, quamdiu Spiritus hos reget artus, implorare non desistam In presenti voti mei summa huc redit, ut, sicuti Numen divinum Sanctum Apostolum Paulum tam eximiis ac egregiis instruxit dotibus, ut *Doctoris Gentium* titulum obtinuerit; ita etiam TE, *Socer Summe Reverende*. donis suis largissime cumulet, ac efficiat, ut *Doctor Theologiae* in Ecclesia, quæ Christo in hisce terris colligitur, diu vigeas, floreas.

Sanctum Augustinum tria potissimum in votis suis atque optatis habuisse, *Cornelius a Lapide in Proæm. Comment. in Epistolas Pauli* refert. Ipsum enim Christum videre in carne, Paulum in ore & Romam in flore desiderasse, ait. Quantumvis vero multi Eruditorum hoc neque credant, neque approbent; nemo tamen mihi vitio dabit, si huic contemplationi impositurus finem cunctis Auditoribus Tuis, pro quorum salute æterna curam geris, appreces, ut semper retineant Christum in corde, TE, *Socer Devenere*, diu adhuc in ore, quam diutissime Lipsiam & Ecclesiam præcipue in flore. Atque, ut paucis omnia complectar, faxit summus veræ ac Christianæ Religionis Patronus, ut sicuti Festo Reformationis Lutheri Auditoribus Tuis PAULUM in LUTHERO REDIVIVUM, quantum mihi tum demum, cum meditationes hasce literis jamjam mandassem, innotuit, magno cum omnium fructu proposuisti; ita etiam Ecclesia nostra Lutherana de PAULO in HORNIO REDIVIVO diuisi gratulari queat Vale, Depropr. Lipsiæ. d. 6. Nov. A. 1708.



n.c.





B.I.G.

Farbkarte #13

Z 6
1583

U L U M
O R E D I V I V U M .

C U M
I R
R E V E R E N D U S , A M P L I S S I M U S ,
L E N T I S S I M U S ,

M A N U E L
O R N ,

rigeratissimus, Electoralis ac Ducalis
ret, Assessor gravissimus, Collegii Min.
endidissimus, & ad D. Thomæ Pastor
meritissimus,

E V E N E R A N D U S
I N

A C A D E M I A L I P S I E N S I
I N T H E O L O G I A

O L E N N I S S I M O
E T U R H O N O R E S

N O V . A N N O 1708.

hiscæ honoribus perceptam lætitiã
prima quæque ulterius apprecari
uit, debuit

ipsum
osissimus Gener

S J O A C H I M U S H A I N ,
& D I A C O N , S . C R U C . D R E S D .
B R A N D E N B U R G E R I A N I S .

B I B L I O T H E C A
P O N I C K A V I A N A

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)